







1703.

1. Lutter, Carolus Fridericus : De partibus humani vitales
naturalis et vero terminus.
2. Martius, Nicolaus : De pactis ad lib. II. tit. 14.
3. Muscus, Simon Heuricus : De amissa possessione agrorum
immunitati.
4. Reyherus, Samuel : De responsis prudentium.
5. Reyherus, Samuel : De quartis ex jure nostro
sacramentibus et in specie de quarta duplicata.

1704.

1. Martius, Nicolaus : De advocatis ad lib. III. tit. 1.
2. Muscus, Simon Heuricus : De restitutione in integrum
contra prescriptionem ex capite ignorantiae.
3. Reyherus, Samuel : De feudorum origine et libris impressis
nisi de Codice Aegyptiaco.
4. Schellhammerus, Gualth. Christoph : De obsessis.

1705

1. Musaeus, Simon Heursem: De foro rei sitae etiam et res mobiles quae vis pertinente.
2. Reyperus, Samuel: De officio iudicium.

1707.

1. Majus, Io. Burchardus: De civitatibus Imperialibus ab imperio Romano avulsis.
2. Martini, Nicolaus: De infamia et libri ff. 3 tit. 2.
3. Reyperus, Samuel: De furto venus iterato, sive tertium patrat.

1708.

1. Musaeus, Simon Heursem: De intercessionibus foeminarum nobilium Meovicensium et Holsternarum.
2. Rahmel, Reinholdus Fridericus: De deposito rerum immobilium.
3. Schellhammerus, Guntherus Christophorus: Oratio: De augmentis et decorem entis scientiarum.

cum magistratus acad. lecturam susceperet

1709.

1. Ruyherus, Samuel: De singularibus quibusdam ablegis
iuribus

2. Waldschmidt, Wilhelmus Hildesheimensis: De sororibus gemellis,
ab esse sacro monstruose monstruose siti
in vicem cohaerentibus

1761.

Waldschmidt, Wilhelmus Hildesheimensis: De his, qui deo
vivunt sine alimentis.

1712.

Vogt, Franc. Ernestus: De solemnitatibus in genere,
earum natura, jure, usu et abusu.

1713.

Vogt, Franc. Ernestus: De Lytao incendiario.

1714.

1. Schoepfferus, Johannus Tschirnus: De nominis a venditore
reservato.

1764

2. Rangonius, Hans Leopold: *De jure conjugum in omni specie et sigillatione de praecipuo, quod viduis notitiam & in Vacatibus, Nervicenis et Molsaviae . . . competit.*
3. Hayes, Dr. Berchards: *Jurisprudentiae criticae specimen.*

14.
DISPUTATIO JURIDICA
DE

1703, 2
PACTIS

Ad lib. ff II. TIT. XIV.

QUAM

DIVINA SUMMINUMINIS GRATIA

ASSISTENTE

CLEMENTTISSIMIS SERENISSIMI

PRINCIPIS

AUSPICIIS

PRÆSIDE

NICOLAO MARTINI, JC.

ET ANTECESS. PRIMARIO, SERENISSIMI DUCIS

SCHLESVICI ET HOLSATIÆ CONSILIARIO JU-
STITIÆ, PANDECT. ET PHILOSOPHIÆ CIVIL-
PROFESSORE PUBLICO,

D. Junii Anni MDCCII

publice defendendam suscepit

CHRISTIANUS FRIDERICUS Dannemann

KILONI, Typis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.

1
2
3

J. N. D. N. J. C.
Prooemium.

DE *Edendo* Materiam, *Pacta & Transactiones*, proximo *in ff.* loco excipiunt; quod casu aliquo, aut inconsulto factum esse, ne quis temere putet, sciendum est; quemadmodum *Cautiones, Ferie, Dilationes*, nec non *Edendi Obligatio*, ab in Jus veniendi, vocantemque è vestigio sequendi necessitate, temporibus antiquis, eximium præstabant vocatum, eodem propè modo, per *Exceptiones, ex Pactis & Transactionibus prognatas*, elidi actiones, quinimo quasdam Actiones, per Pactum ipso Jure tolli, *l. 17. §. 1. ff. de Pact. &* quod hinc consequi necesse est, ipsius judicii ingressum impediri. Hæc igitur causa, quæ moverit compilatores, *de Pactis & Transactionibus*, Titulos duos, *Edicto de Edendo* ut subjicerent, esse nonnullis videtur, quibus dicam propterea scribere nolumus, neque omnino refragabimur, sed ad Negotium ipsum potius progrediemur. Ut autem eo, quo decet, ordine, nostra hæc Tractatio incedat, quandoquidem Conventionis Species est Pactum, de Conventionibus paucissima ante delibare, haud omnino extra rem fore, credendum est.

§. 1.

Conventionis verbum generale esse, ad omnia pertinens, de quibus, negotii contrahendi transigendique causa, consentiunt, qui inter se agunt, adeo quidem, ut ele-

eleganter dicat Peditus, nullum esse contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in se Conventionem, si vere, siue verbis fiat, scribit Ulpianus. l. 1. §. 3. ff. b. t. Est autem Convenire h. l. consentire, ac communi deinde consensione constituere. Atque hinc Conventio plene describetur Actus, per quem duo pluresve, de negotio aliquo consentiunt, legitimeque postea constituunt.

§. II.

Totum hoc Conventionis negotium perficit ac format Voluntas, non modo *Expressa* quæ dicitur, verbisque aut factis declaratur; sed & *Tacita*, si nempe, cum possit ac debeat, non contradicat. Quod ad hanc Voluntatem atamen requiritur, ut & doli, & erroris præsertim, impedimentis exempta sit; Quod latius exsequi jam non licet. Conventiones in *publicas & privatas* dispescit, & has quidem in *Legitimas*, & *Juris Gentium*, subdividit J.C. l. 5. eod. Ad nostrum præsens institutum, illa in *nudas*, & *non nudas* divisio pertinet; quæ tamen (quod probe notandum) non tam divisio principalis, quam subdivisio tantum est Conventionum illarum, quæ inter privatos, aut, uti Ulpianus d. l. 5. ait, *ex causa privata* fiunt. Juris enim Naturalis (quo solo Conventiones publicæ æstimanantur) simplicitati ignota prorsus est illa Conventionum in *nudas & non nudas*, h. e. *Pacta & Contractus*, divisio. Nos de *Conventionibus* illis *Nudis*, quas *Pacta* dici, jam subinuimus, dissertatione hac, prout instituimus, paucisagemus.

§. III.

Ab antiquo *Paco* vel *pago*, pro quo nunc *pango*
A 2 usur-

1
2
3
usurpatur, *Pactum* Criticis deduci, notum est. Vox hæc ita nonnunquam sumitur, æque late ut patere, atque ipsa *Conventio*, videatur; quæ quidem significatio (quæ habetur *in l. 20. C. de Pact.* ubi *Pacta Transactionibus juncta, traditionibus ac Usucapionibus contradistinguuntur*) tamen propria parere possit, Jctis Romanis attamen, optimis Latinitatis interpretibus, si non omnino ignota, saltem infrequentior est. Nobis *b. l.* in significato strictiore accipitur, quatenus nempe *Contractibus opponitur, & illas tantummodo Conventions, quæ Exceptiones, non Actiones pariunt, inque suo, i. e. Conventionum, nomine generali stare, neque in aliud nomen transire, Ulpiano l. 1. §. 4. & l. 7. pr. & §. 1. ff. h. t.* dicuntur, designat.

§. IV.

Hoc itaque modo *Pactum* describitur *Conventio, quæ intra meri aut nudi placiti fines sese continens, nullam Jure Civili parit obligationem perfectam, neque vi sua producit actionem.*

§. V.

Hæc vero, quam modò dedimus, descriptio solidius ut intelligatur, paucis exponendum; primo, *quid sit intra nudi placiti terminos subsistere?* Deinde, *quæ nobis hoc loco dicatur Obligatio perfecta?* Denique, *quid sit, vi sua producere actionem?* Primum quod attinet, egregie id nobis exponit *JC. Ulpianus l. 7. §. 1. & aliq. seqq. h. t.* Nimirum, si neque speciale nomen fortiat, sive, ut *Ulpianus* ait, *in proprium contractus nomen non transeat Conventio, neque Causa, h. e. Datio, vel factum, subsit, alia datione reciproca, vel facto*

cto compensandum, intra nudi placiti fines subsistere: Contra vero, si in suo nomine non stet, sed in proprium nomen Contractus transeat, hos fines excessisse Conventio dicitur.

§. VI.

Quod ad alterum, notandum; Obligationem Jctis in Naturalem, Civilem, & Mixtam dividi communiter solere; quam Juris Philosophiam suis autoribus lubenter equidem permittimus. Nos in perfectam, & minus perfectam, Moralium Consultos secuti, dispeſcemus. Illa nobis est, que & naturali equitate subnixæ, & Juris Civilis subsidio munita, efficacem producere actionem apta est. Et hæc est illa Obligatio, quam Mixtam Jcti nostri appellare communiter consueverunt. Talem vero Obligationem Pacta Jure Civili non parere, procul ab omni controversia est.

§. VII.

Ad extremum, vi sua producere actionem, est, ex ipso facto humano, indeque proveniente obligatione, prognasce actionem efficacem, nullo subsidio qualicumque extrinsecus accedente; qualem vim Conventionibus illis, quæ nudi Placiti finibus circumscriptæ, Pacta appellitantur, leges Romanæ non tribuunt.

§. VIII.

Utut vero hunc Obligationis perfectæ constituendæ effectum, Jura Romana Pactis denegent, quinimo ne natam quidem ipso Jure tollendi vim omnibus promiscue concedant, insignes attamen alios habere effectus, istam quam pariunt Obligationem, negari

1
2
3

haud quaquam potest. Primus est; quod si non actionem, saltem Exceptionem pariat. Ita qui v. g. de non petendo debito, cum adversario pactus est, tamen Jure Civili adhuc teneatur, per Exceptionem pacti conventi tamen defenditur, §. 3. *Inst. de Except.* ac proinde conveniri cum effectu non potest, quod *nihil intersit, ipso Jure quis non habeat actionem, an per Exceptiones infirmetur, l. 112. ff. de R. J.* Alter est; quod in compensationem cum quovis alio debito deduci, etiam constitui possit, quod ex hac Obligatione debetur, *l. 6. ff. de compensat. & l. 1. §. 7. ff. de constit. pecun.* Tertius; quod novari possit, *l. 1. §. 1. ff. de Novat.* per errorem verò solutum repeti nequeat, *l. 10. de Obl. & Act. l. 19. pr. ff. de Condict. Indeb.* Denique quod huic Obligationi & fidejussor & Pignus possint accedere, §. 1. *Inst. de Fidejuss. & l. 5. ff. de Pign.* Verum quid opus est hisce, utpote apud nos jam obsoletis, diutius immorari? quis enim quæso est, qui ignoret, inter Pacta & Contractus discrimen omne, quoad producendæ actionis effectum, prorsus esse sublatum. Hanc vero Juris mutationem, non Juri Canonico, sed moribus tribui potius debere, quicquid hic in contrarium alii disceptent, nos omnino persuasum habemus, neque contrarium probant *c. 1. & 3. de Pact. adde Ritteribus. de Diff. Jur. Civ. & Can. l. 3. c. 1. Christin. Vol. 2. Decis. 92. Gudel. de Jur. Noviss. l. 3. c. 5.*

§. IX.

Varie dividi Pacta possunt; Illam in *Publica*, Græcis dicta *δημόσια*, & *Privata*, quæ *ἰδία* iisdem dicuntur, *divisionem*, tanquam ad nostrum præsens institutum,

tutum (quia de privatis tantum agere decretum est) consulto prætermittimus. Alteram, quæ in *expressa*, & *tacita*, quorum hæc quidem præsumpta, illa vero verbis aut factis sufficienter declarata voluntate nituntur, Pacta dividit, usu suo haud destitui, exemplis ostendi quam plurimis poterat. Tacitam sive Præsumptam illam voluntatem, non ex Facto tantum, verum ex Non Facto etiam cognosci posse, dubitandum non est. *Ad Facta* pertinet *Cautionis redditio*, *debito non soluto*, quam in rem textus est elegans ac notabilis in l. 2. ff. de Pact. add. l. 7. C. de Remiss. Pign. ibique *Dd.* Contrarium in pignore placuit; hoc enim reddito, debitum non solutum peti posse, dubium non esse dicit *Modestinus* *JC. l. 3. ff. b. t.* Rationem diversitatis inquirunt *Dd.* in quorum sententias hic inquirere nolumus. *Ad Non Facta* referri potest, si viro in Venerem ruenti foemina non resistat; hæc enim de vi postmodum frustra conqueritur; in concubitum enim consensisse, & sua quidem culpa, videtur. Eodem modo, si fortem sibi numeratam, creditor, nulla usurarum facta mentione, accipiat, usuras remississe censetur.

§. X.

Porro quædam Pacta dicuntur *Realia*, quæ *generaliter*, nullaque adjecta personæ certæ mentione inveniuntur; & hæc heredibus quoque, ut & fidejussoribus profunt: quædam *Personalia*, quæ certam personam, quam non excedunt, continent, neque heredibus aut fidejussoribus utilitatis quicquam præstant. *Pactorum quædam in rem sunt*, inquit *Ulpianus* l. 7. §. 7. ff. b. t.

1
2
ff. b. t. quædam in personam. In rem, quoties generali-
ter paciscor, ne petam; in personam, quoties ne à per-
sona petam, ne à Lucio Titio petam; quæ quidem per-
sonalitas quomodo fit intelligenda, l. 17. §. 2. ff. b. t.
exponit Paulus; add. Schilter. Exercit. Theor. Pract.
8. ib. 13.

§. XI.

3
Quædam præterea Pacta sunt obligatoria, nonnul-
la liberatoria, quæ Divisio effectum respicit. Obli-
gatoria pariunt Obligationem; quæ cujusmodi sit, su-
pra jam monuimus. Liberatoria Obligationis vincu-
lo constrictum eximunt; quinimò tollunt obligationem;
& eam quidem, naturalis quæ dicitur, ipso Jure, civi-
lem vero, per Exceptionem, h. e. efficiunt, Exceptio-
nis hujus præsidio, adversus impetitiones ut sint mu-
niti.

§. XII.

Ad extremum, in Nuda, & non nuda Jctos Ro-
manos partiri Pacta, pervulgatum est. Pertinere
huc videntur verba, Interdum ex Pacto actio nascitur,
l. 6. ff. b. t. add. l. 15. ff. de Præser. verb. clarissime ve-
rò divisionem hanc exhibent, l. 10. & 20. C. de Pact.
convent. Nuda, quæ etiam Nude Pactiones dicuntur l. 7.
§. 4. ff. b. t. describi possunt Conventiones, quibus in-
tra nudi placiti fines subsistentibus, ad producendam a-
ctionem, nihil subsidii, per quod earum nuditati prospici-
atur, extrinsecus accedit.

§. XIII.

His opponuntur Non nuda, dicta nonnullis ve-
sita, (quam bene, judicent quibus commodum est)
que,

que, utut intra nudi placiti terminos hæcenus contineri videantur, alio attamen subsidio extrinsecus accedente adjuvantur, ita, ut, quam vi sua parere actionem haud poterant, subsidio quodam extrinsecus administrante producant. Subsidium illud extrinsecum, cum modò a lege, modò a Contractu cohærente, nonnunquam denique, ab interveniente rei traditione mutantur; apparet exinde, triplici discrimine, diversisque ab invicem nominibus sive appellationibus, dignosci, ut eorum quædam *Legitima*, alia *Adjecta*, nonnulla denique, *rei* intervenientis *datone aut traditione munita* dicantur; quæ singula qualia sint, paulo accuratius perquirendum, initio à *Legitimis* facto.

§. XIV.

A *Lege* hæc dicuntur; quæ vox late adeo hic usurpatur, ut præter legem strictè sic dictam, reliquas Juris Scripti partes s. species omnes ambitu suo contineat. Erit itaque Pactum legitimum, *Conventio, que speciali aliqua Juris scripti parte, ad producendam actionem, confirmatur, l. 6. ff. h. t.* Potest etiam brevius describi *Conventio, ex qua, ad id, quod pacto continetur, actio lege aliqua datur.* Dicitur *Conventio hæc Pactum*, quod, in se spectatum, nudi placiti fines non excedat; *Legitimum*, quod à lege juvetur & subsidium accipiat.

§. XV.

In *Civilia & Prætoria* subdividi Pacta hæc, notissimum est; quorum illa partim Jure Digestorum, partim verò, Jure Codicis nitantur. Nos de Civilibus

B

bus

1
2
bus primo, inde de Prætoriiis, per exempla, paucis a-
gemus.

§. XVI.

3
Primum nobis erit *Pactum Donationis*, quod de-
scribitur *Pactum legitimum civile*, ex quo prognascitur
obligatio, qua ad rem donatam tradendam, is qui pro-
misit, tenetur. Donatio hæc (utpote merum de do-
nando *Pactum*) nullas olim vires habebat, nisi aut
mancipatione, aut traditione, juxta legis Cincix di-
spositionem, fuisset munitum, cui postea vim
hanc tribuit Imperator *Justinianus l. 35. §. 5. C. de Do-
nat.* ut actionem pariat, per quam ad dandum, quod
promisit, compelli donator potest *Dd. ad Tit. de Do-
nat.*

§. XVII.

Proximum ab hoc locum tribuimus *Pacto Do-
tis*, quod est *Pactum legitimum civile*, quo dotem da-
turum se, nulla stipulatione interposita quis promittit,
ad quam solvendam, actione ex hoc pacto proveniente
adigi promissor potest; *l. 6. C. de Dot. promiss. ibique
Dd.* cujus legis, post Constitutionem Justiniani scilicet
de Rei Uxor. act. nullam amplius utilitatem & necessi-
tatem esse *ad Treutl. Vol. I. Disp. 6. th. 2. lit. D.* scribit *Ba-
chovius*, de quo, cum ad nostrum præfens negotiū non
faciat, neque magni usus hodie sit quæstio, cum *Ba-
chovioc* contendere nolumus.

§. XVIII,

Tertiū est *Pactum, quo Civitatibus, creditorum pecu-
niarum usuræ debentur, l. 30. ff. de Usur. & fruct.* quod
*Paulo Jc. dictæ legis auctori, nudum dici, non magno-
pere*

pere terrebit, qui meminerit, ejusmodi Pacta Contractibus opposita, appellatione hac JCris Romanis insigniri, haud infrequens esse. Sed id fortasse levius est.

§. XIX.

Quarto huc pertinet Pactum, quo trapezitis sive mensariis aut argentariis, usura debebantur, quippe quibus usuras non solum ex stipulatione, sed etiam nudo pacto, quinimo absque scripto, & quidem besales, præberi vult Princeps Justinianus *Novell. 136. c. 4.* Trapezitæ isti, qui nummularii quoque dicuntur, erant homines, qui in pecunia publica negotiabantur, & apud quos olim pecunie & res Civium quoque, deponi solebant, quique pecuniam desiderantibus, opus habentibus, certo modo credebant, ac mutuo dabant. De quorum officio passim agunt JCTi. *Vid. Cujac. ad Novell. hanc. add. Comici, Plaut. Captiv. Act. 1. Sc. 2. & Mostell. Act. 3. Scen. 1.*

§. XX.

Quintū est Pactum, quo quis pro hordeo, aut alio etiam frumento, mutuo dato, usuras paciscitur. Frumenti vel hordei mutuo dati accessio, inquit *Alexander Imp. l. 12. de Usur.* etiam ex nudo pacto h. e. nulla interposita stipulatione præstanda est; cujus rei duplicem adducit rationem *Brunnemann. ad d. l.* quarum prima est, quod, cum rerum harum usus, magis quam pecunia, necessarius sit, invitandi fuerint homines ad mutuandum; altera, & forte validior, hæc est, quia incertum earum rerum est pretium, & sic quia res potest valere minus tempore quo redditur, quam valeret tempore mutui facti, permixtum fuisse augmentum petere; quæ ratio

1
2
tio ex lege 23. C. h. t. desumpta est, ad quam videndus
idem Brunnem.

§. XXI.

3
Sextum est Pactum istud, quo foenus extraordina-
rium, h. e. nauticum, promittitur. Hoc enim deberi,
quemadmodum per stipulationem, dicit paulus l. 7. ff de
naut. foen. add. l. 5. §. 1. eod. Est autem Foenus nauti-
cum, quod ex pecunia trajectitia (h. e. illa, quæ peri-
culo ejus qui creditur, trans mare vehitur) provenit.
Talis pecuniæ creditæ usuras, etiam ultra licitum a-
lias usurarum modum peti posse, & quidem usque
ad centesimas, quas tamen excedere Jure civili non
debere, ex l. 26. §. 1. C. de Usur. & Novell. 110. patet; quan-
quam sane illa Juris Civilis dispositio hodie non ob-
servetur, sed majores centesimis, usuræ petantur,
quod nonnulli etiam usque ad vicena in centum ex-
tendunt. Vid. Vinn. in Not. ad Wesemb. de Usur. §. 12.
& ad Tit. de Naut. foen. in fin.

§. XXII.

Postremo referri huc etiam possunt, imo de-
bent Pacta quædam, de futura successione, aut heredi-
tate, concepta, quæ Jus Civile approbat, quæque ha-
bentur §. 3. Inst. de Adopt. l. 18. & seq. ff. eod. l. 3. §. 2.
ff. Pro Socio l. 19. & ult. C. de Pact. Hæc enim Pacta,
Legitima civilia dici posse, cur quis dubitet, causam
haud reperiet.

§. XXIII.

Sufficiant hæc de Pactis Legitimis Civilibus; se-
quuntur Prætoria, quæ ex sua Jurisdictione, compara-
ta Prætor habet, sive, quæ actionem producendi vim Ju-
re

re honorario consequuntur. Horum potissima saltem sunt (1) Pactum hypothecæ, sive, *Conventio de Pignore*, l. 17. §. 2. ff. de Pact. l. 1. pr. ff. de pignor. act. (2) Pactum Constituti aut, quod in idem recidit, de *Constituta pecunia*.

§. XXIV.

Pactum pignoris aut hypothecæ, placet describere, quod sit *Conventio*, per quam, nulla interveniente traditione, pignus nuda ac sola debitoris voluntate constituitur, ex qua personalis actio provenit; & hoc est quod Paulus l. 17. §. 2. h. t. dicit, de pignore, *Jure Prætorio, nasci pacto actionem*. Cum vero per hanc Conventionem, de pignore habendo tantum conveniatur, a Contractu pignoris reali, quo, in securitatem crediti, res a debitore creditori datur, Pactum, sive *Conventio* hæc, quid distet, ex hisce apparet; nimirum solo consensu Pactum hoc perficitur, rei traditionem Pignus requirit l. 1. §. 6. de Obl. & Act. Dd. ad §. 4. *Quib. mod. re contr. Obl.* Sed hæc aliò pertinent,

§. XXV.

Alterum est *Constitutum*; Est autem *constituere* h. l. non *decernere*, aut *edicere*, h. e. *legem condere*, quo quidem modo leges ab Imperatoribus latæ, *Constitutiones* olim appellabantur; sed est *citra omnem solennitatem*, nudis verbis, modo quocunque prolatis promittere. *Constitutum* itaque proprie est, quod nullius stipulationis interventu promissum est. Nobis describetur *Pactum Prætorium* s. *Conventio*, per quam is, qui absque stipulatione promittit, se soluturum, quod vel ipse vel alius debebat, ad ejus solutionem obligatus, conveniri cum effectu potest.

§. XXVI.

§. XXVI.

1
2
3

Actiones pactis hisce legitimis diversas tribui, notum est. Enimvero si obligatio nova lege (Civili nimirum) introducta sit, *ex lege agendum esse*, h. e. Conditione ex lege utendum, Paulus *l. un. ff. de Condict. ex leg.* dicit. Si Jure Prætorio nitatur obligatio, *in factum actionem parere*, extra controversiam est. Denique, si vel Jure Canonico, vel Consuetudine roborata sit, *Conditionem, modo ex Canone, modo ex Moribus* operabitur. Verum cum hodie ex quovis pacto serio proveniat actio, ejusque quod promissum est, præstandi necessitate constringatur promissor, de Pactis hisce legitimis soliciti ulterius ut simus, nulla nobis apparet necessitas.

§. XXVII.

De Pactis Jure Germanico recentiore approbatis, *quibus de futura* in defuncti bona *successione*, vel *acquirenda*, vel *conservanda*, vel *repudianda*, agitur, dicere hic etiam prætermittimus, & ad Pacta, *Adjecta* quæ dicuntur, progredimur.

§. XXVIII.

Appellationem hanc (*Adjecta* nempe ut dicantur) unde traxerint, notum est; possent etiam haud inepte *Subsecuta* dici *l. 7. §. 5. ff. h. t.* Ad hæc autem pacta, à parte actoris utinelle, h. e. actionem parere dicantur, omnino necesse est, *incontinenti ut sint adjecta*, sive, ut *Ulpianus d. l.* ait, *ex continenti subsecuta*, ea enim pacta insunt, *que legem contractui dant*, i. e. *que in ingressu contractus facta sunt*, *d. §. 5.* Secus vero se res habet ex parte rei, *quia solent &*

ea pacta, quæ postea interponuntur, parere *Exceptiones* d. §. 5. in fine add. l. 12. c. eod. Porro requiritur Jure Romanorum civili, ut pacta hæc bonæ fidei Contractibus adjiciantur. An etiam stricti juris contractibus adjecta Pacta inesse, & quidem à parte actoris, dici possint, valde controvertitur, quod ex lege lecta 40. de Reb. ered. poterat omnino videri affirmandum. Nos litem hanc, utpote hodierno tempore, quo Pacta Contractibus, quod ad producendæ actionis effectum exæquata sunt, prorsus inutilem, ad nos pertinere nequaquam volumus. Vid. Dd. ad d. l. 40. de Reb. credit. præsertim Brunnem. & quos hic laudat Dd. Erit itaque Pactum adjectum *Conventio, bonæ fidei*, (hodie etiam stricti juris) contractui, *incontinenti* (hodie ex intervallo quoque & postea) adjecta, quæ Contractum, ex eoque competentem actionem format; d. l. 7. §. 5. pr. ff. b. t. Ex quibus verbis posterioribus, ut hoc in transitu veluti moneamus, colligietiam potest, non peculiarem aliquam, præter eam, quæ ex contractu, cui additur, promanat, actionem parere pactum hoc, sed illa ex contractu quam format, reformat, interpolat, contentum esse. Nullo itaque modo statuendum cum illis, qui aut actionem præscriptis verbis, aut Conditionem ex lege in hoc negotio ineptissime somniant.

§. XXIX.

Pacta hæc legem dare contractibus dicuntur, quinimo leges nonnunquam appellantur, vid. Rubr. & t. t. ff. de leg. commiss. Rubr. & l. fin. C. de Pact. Pign. & leg. commiss. quæ sane appellatio insignis, inter Pacta

2
3
2a, non nuda quæ dicuntur, principatū deferre pa-
ctis hisce videtur.

§. XXX.

Exemplis non carent Pacta hæc, quorum ali-
qua duntaxat, studio brevitatis, hic exhibebimus. Pri-
mum erit Pactum ἀντιχρηστικόν, sive Antichreticum,
aut rectius, Antichresticum, quod potest describi Con-
ventio, s. Pactum pignori additum, per quod, fructus
ex re pignori opposita, in vicem usurarum percipiendi,
jus, creditori à debitore conceditur. Ab antichresi
nomen contigit huic Pacto, quam vocem, ἀνὰ ληψί-
μαρτυρίαν ὑπὲρ τῶν τόκων h. e. fructuum pro usuris per-
ceptionem Græci exponunt. Vox χρηστικὸν usum notat; e-
rit itaque ἀντιχρηστικόν, Contra-Usus, non Contra-Mu-
tuum, quod voluit Salmasius.

§. XXXI.

Cum pacto hoc nihil commune habet Pactum,
quod l. 39. de pign. act. continetur, ut creditor pi-
gnus suum in compensationem pecunie sue, certo tem-
pore possideret; quod fructus percepti non cedant in
vicem usurarum, sed in fortis ipsius deminutionem
sint imputandi; vid. Dd. ad d. l. & præsertim Brun-
nem.

§. XXXII.

Aliud pactum pignori adjectum est, quo creditori
potestatem debitor facit, possessionem fundi ob pecuniam
mutuam oppignorati, non reddita sibi pecunia, ingredi-
endi, quod Pactum quam vim habeat, certant Jcti,
& sub iudice lis adhuc esse videtur. Libenter equi-
dem concederem in sententiam illorum, qui de sola
urba-

urbanitate legem 3. C. de Pign. & hypoth. interpretantur, ni verba ejusdem finalia dubium obmoverent. Verissimum interim puto, quod ad tit. C. de Pign. & hyp. n. 33. Perezius scribit, etsi creditori liceat, vi conventionis, ingredi possessionem rei oppignoratae, tamen tutius fore, si eam ingrediatur & nanciscatur auctoritate magistratus; sed litem non decedit. Nos ita statuimus; quandoquidem verba non debent esse otiosa in contractibus, nec sine virtute operandi, Gail. l. 2. Obs. 28, n. 3. & 6. si creditori possessionem apprehendenti se non opponat possessor, justam omnino dici possessionem debere.

§. XXXIII.

Tertium erit *in diem addictio*, quod est *Pactum*, *Emptioni Venditioni adjectum*, per quod partes de certo pretio, quo res empta sit, conveniunt, nisi intra tempus constitutum, melior venditori conditio offeratur. Quæ melior sit conditio, quibus modis, s. ex quibus sit æstimanda, docet nos *Ulpianus l. 4. §. 6. ff. h. t.* & summatim his verbis *l. 5. eod.* Pomponius complectitur, *quicquid ad utilitatem venditoris pertinet, pro meliori conditione haberi debet.*

§. XXXIV.

Hæc in *diem addictio Pactum* est *conditio-*
nale, certum enim pretium constitutum est, quo *res venire debeat*, addita tamen *conditio* hac;

C

nisi

1
2
nisi intra certum diem melior conditio offeratur, add.
l. 2. pr. ff. h. t.

§. XXXV.

3
Quartum est Pactum commissorium, quod Lex commissoria quoque dicitur, Rubr. h. t. ac describi potest, Conventio emptioni venditioni adjecta, per quam contrahentes constituunt, ut, si ad diem pecunia soluta non sit, res sit inempta, h. e. Emptio venditio pure contracta, sub conditione resolvatur, l. 1. ff. de lege Commiss. & inempta res sit, si venditor inemptam esse velit, l. 2. & 3. ff. eod. Probe autem expendere rem ante debet venditor, aut, uti latinissime loquitur Papinianus l. 4. §. 2. ff. h. t. statim atque commissa lex est, statuere venditor debet, utrum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere, nec enim posse, si commissoriam elegit, postea variare.

§. XXXVI.

Ab hoc Pacto quomodo differat alterum Commissorium, pignori additum, quo cum debitore creditor paciscitur, ut, pecunia intra tempus placitum non soluta, pignus sit creditoris, ipsa descriptio sufficiens facit indicium, neque nos hic jam quidem morabitur, Vid. Dd. ad Tit. C. de pact. pign. Pactum hoc, sive legem hanc commissoriam prorsus infirmavit, omnemque ejus memoriam abolevit Imperator Constantinus l. ult. C. de Pact. pign. cui legi renunciare debitorem non.

non posse, verior nobis sententia videtur. *Vid. Dd. ad d. l. ult.* quod in odium creditoris injusti facta sit prohibitio. Sed, *quid si jurata fuerit renuntiatio?* valere, nonnulli affirmant, *c. significante 7. de pign. Vid. Brunnem. ad d. l. ult. n. 11. add. Ritterhus. de Diff. l. 3. c. 4.* Illud adhuc monendum, insigni discrimine ab hoc Pacto dignosci pactum istud, quod habetur *l. 16. §. fin. ff. de pign. & hypoib. ad quam vid. Brunnem. n. 19. & quos laudat Dd. add. eund. ad l. 1. C. de pact. pign. n. 2.*

§. XXXVII.

Quintum est Pactum *Retrovenditionis*, *s. de retrovendendo*, Germanis *der Wieder kauff*/ quod est talis conventio, per quam, integrum venditori est, est, rem venditam, vel intra, vel vero post certum tempus, reddito pretio, redimere. Insignem vim habet Pactum hoc; cujus vigore ad rem venditori petenti dimittendam emptor adigietiam invitus potest; cui Juri rem venditam repetendi, ad certum tempus per pactum haud restricto, praescribi nullo tempore potest. *Vid. Speidel. Specul. voce wieder Lösung.*

§. XXXVIII.

Inferius est Pactum, *Protimiseos* quod dicitur, quod nullam vendendi necessitatem imponit emptori, sed *Jus pra. aliis emptoribus praerogativum, venditoribus, eorumque heredibus tribuit,*

1
2
bui, Germani Einstand-Recht / Abtrieb / Verkauf /
appellitant. Vid. Webner. Besold. Speidel. in Ope-
rib. notis.

§. XXXIX.

3
Sextum & ultimum nobis h. l. erit Pactum,
quo poena aut multa (poenitentialis que vulgo,
Germanis vero, der Neukauff dicitur) contra-
ctui adjicitur, persolvenda ab eo, qui fidem serva-
re, & contractum implere non vult. Hujus soluta-
tionem poena si quis offerat, an à contractu libera-
ri possit, disceptatur. Affirmans sententia, quam Sca-
binis quoque Lipsiensibus placuisse, Berlich. p. 1.
Decis. 44. testatur, nobis probatur, non tantum
quod provisio hominis tollere legis provisionem di-
catur; sed & hanc cum primis ob causam, quod,
qui in talem multam consentiunt, tacite id egisse
videantur, à Contractu recedendi licentia ut esset ei,
qui multam persolvere, ante contractum consum-
matum, paratus esset.

§. XL.

Tantum de Pactis, Adjecta quæ dicuntur. Po-
stremum occupant Pacta, Rei traditione aut datione
firmata; quæ describi debent, Conventiones nude, quæ
neque insunt, neque à lege jurantur, sed ad producen-
dam actionem, adminiculū sufficiens à rei datione mu-
tuantur. Id genus Pactorum Exempla quoque non
desunt. Tale est primò Pactum, de rerum communium
divisione, quod habetur l. 45. ff. h. t. ejusque ratio conti-
tine-

tinetur l. 48. ff. eod. Alterum est in l. 10. C. de Pact.
& quæ cum hac eadem prorsus est, l. 1. C. de act.
convent. Tertium est in l. 3. C. de Donat. quæ
sub modo.

§. XLI.

Pactum de Re communi dividenda (quod
placitum Divisionis appellat JC. Hermogenianus
l. 45. ff. de Pact.) est & manet pactum nudum,
adeoque nullam producit actionem, nisi tradi-
tione aut stipulatione sumat effectum ad actio-
nem, d. l. 45. b. t. Si tamen quis possideat
hereditatem ex tali pacto, exceptione postmo-
dum uti, & convenientem repellere potest; si
vero non possidet, priore, si quam habebat,
actione uti non prohibetur, & transactionem
opponenti, de dolo replicare potest Dd. ad l. 21.
C. de Pact. neque n. transactionis uti beneficio
potest, qui hanc ipse non servat, add. Brunnem.
ad b. l. n. 2. & seqq. & quos citat. Dd.

§. XLII.

Alterum est Pactum dationi dotis, de hac,
soluto matrimonio, restituenda, adjectum, quod
actionem parere, Imperatores d. l. 10. C. de Pact.
& l. 1. de Pact. Conv. auctores rescribunt. Per
Conditionem hic intelligi illam, sine causa quæ
dicitur, extra dubium nobis est; quippe quæ &
eo casu datur, quo fuit causa promittendi, quæ fi-
nita est, l. 1. §. 2. ff. de Condict. sine causa. Hæc

1
2
3
vero actio locum ut habeat, requiritur (1) *ut vere datum quid sit*, cum conditio non detur, nisi ejus quod datum est. (2) *Ut justa causa ab initio adfuerit.* (3) *Ut causa illa jam sit finita.* Sed quid immoramur?

§. XLIII.

Postremum est *Pactum donationi de re donata, post finitum certum tempus, alteri tertio restituenda, adjectum*, quod est *Conventio, rei datione munita, juxta quam, tempore praefinito elapso, prior donatarius, rem donatam alteri tertio restituere tenetur.* Ex hoc Pacto, utpote *Rei traditione vestito*, (sic nonnulli *Dd.* loquuntur) competit donatori, adversus donatarium, qui *legem, i. e. modum donationi additum non implevit*, actio, quam *Conditionem ob rem dari, re non secuta, Dd.* aliqui appellitant, *Perez. ad C. h. t. n. 4.* Principes vero *legis tertiae* auctores *Conditioam actionem* dicunt. Quinimo & *aliam, incerti civilem* nempe, aut *praescriptis verbis* actionem, donatori huic *Diocletianus & Maximinianus Impp. in l. 9. & 22. C. de Donat.* largiuntur. Contra, donatario alteri posteriori, si stipulatus non esset, nulla *Jure veteri* (quod alteri stipulari nemo posset, §. 18. *de Inut. Stipul.*) adversus priorem illum donatarium, ejusque heredes, actio competebat. Verum & huic postea, *benigna Juris interpretatione, utilem actionem, juxta donatoris voluntatem, competere, Divi Principes admiserunt, l. 3. C. de Donat. quae sub modo.* De Actione

ctione hac Donatario posteriori concessa, *realis sit, an vero personalis?* dissidentibus sententiis certant Jcti; quam litem, speciosis, à parte utraque argumentis agitatam ad nos jam quidem, pertinere nolumus. *Vid. Dd. ad l. 1. & 3. C. h. t. ibique in Comment. Cujacium. Gomez. ad l. 40. Tauri. n. 25. Brunnem. ad l. 1. & 3. C. eod. nos enim hic subsistimus.*

S. D. G.



Corrigenda.

- §. IX. Post verba, *agere decretum est*, adde, *non pertinentem.*
- §. XII. Post verba, *divisionem hanc exhibent*, ita legendum: *l. 10. & 20. C. de Pact. & l. C. 1. de Pact. Conv.*

1

2

3

in vero personarum? dicitur quod sententia certam
 in quam licet, speciosa, a parte utraque ar-
 guentis agitur ad nos iam quidem, gerimus
 re solvamus. VII. II. ad l. i. §. C. d. i. ibidem
 in Comment. Capicium Gomez ad l. de iuris
 n. 27. brunnem ad l. i. §. C. eod. nos enim hic
 libellus, etiam in hoc in iuris,

non aliter vult, capere vult, vult hoc, et
 agendum, etiam in hoc, vult hoc, ad
 re, etiam in hoc, vult hoc, ad
 etiam in hoc, vult hoc, ad
 etiam in hoc, vult hoc, ad



etiam in hoc, vult hoc, ad
 etiam in hoc, vult hoc, ad
 etiam in hoc, vult hoc, ad
 etiam in hoc, vult hoc, ad
 etiam in hoc, vult hoc, ad

Corrigenda.


§ IX. Post verba, agere dicitur est, adde, non
 § XII. Post verba, dicitur dicitur, adde, non
 § XIII. Post verba, dicitur dicitur, adde, non
 § XIV. Post verba, dicitur dicitur, adde, non
 § XV. Post verba, dicitur dicitur, adde, non


ULB Halle
003 742 709

3



TA → OL ^f
nur 1+21 Stück rechnung pff





4.

1703, 2 *M*

DISPUTATIO JURIDICA
DE
PACTIS

Ad lib. ff II. TIT. XIV.

^{QUAM}
DIVINA SUMMI NUMINIS GRATIA
ASSISTENTE

CLEMENTISSIMIS SERENISSIMI

PRINCIPIS

A USPICIIS

PRÆSIDE

NICOLAO MARTINI, JC.

ET ANTECESS. PRIMARIO, SERENISSIMI DUCIS
SCHLESVICI ET HOLSATIÆ CONSILIARIO JU-
STITIÆ, PANDECT. ET PHILOSOPHIÆ CIVIL-
PROFESSORE PUBLICO,

D. Junii Anni MDCCIII

publice defenâendam suscepit

CHRISTIANUS FRIDERICUS Mannemann

KILON, Typis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.

